



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Opera Mystica V. Ac Mystici Doctoris F. Ioannis A Cruce  
Primi Religiosi Discalceati Ordinis B. V. M. De Monte  
Carmelo Et Seraphicæ Virginis Theresiæ fidelissimi  
coadiutoris**

**Juan <de la Cruz>**

**Coloniæ Agrippinæ, 1639**

Elogium III. A[dm.] R[di.] P. Ioannis de Vicunna Rectoris Collegij Societatis  
Iesu Vbetæ, Relatum in informationibus in ea ciuitate confectis pro  
Canonizatione V.P.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-37873**

ac quificam ingenio existiment omnes, quorum lectio aduersas à falsis illuminationibus, discernendas; animasque in perfectionis via roborandas perutilis comprobatur. Vnde Doctrinæ S. Dionysij Areopagitæ à legentibus comparata est.

### ELOGIUM III.

*Adm. R. di. P. Ioannis de Vicunna Rectoris Collegij Societatis Iesu Vbetæ,*

*Relatum in informationibus in ea ciuitate confectis pro Canonizatione V. P.*


**P**ures audiui personas de profunda humilitate, rigida pœnitentia, ac sublimissima oratione V. P. F. Ioannis à Cruce, cum singulari æstimatione loquentes; atque ex his quæ ex ipsius scriptis legi, coniugio S. hunc virum simul copulasse austeram valde pœnitentiam extrinsecam, cum præcipua quadam abnegatione & pœnitentia interna, ardentique charitate & amore erga Deum, similem S. Francisco: multa enim sciui de pœnitentijs prædicti S. P. F. Ioannis à Cruce, nec non de amore quo se rebatur in Deum, quod etiam ex ipsius scriptis comprobatur: suauitas quippe, & affectus, quos illa præ se ferunt, & spirant, indicant manifeste, eum de illis loqui per experimētalem scientiam, quod quæ nuditate illam omnium consolationum, Deique intimam amorem in se ipso experiretur, (prouer legenti constabit) nam ex sola illorum lectione incalescit anima, quod est argumentum ingentis amoris, & charitatis, quam ipsius anima erga Deum habebat. perlegi ego semel, ac sæpius scripta omnia huius sancti viri, quorum doctrinam, Mysticam Theologiam, cœlesti sapientia plenam existimo, & clare denotant, sublimem, ac eminentem lucem, qua ipsorum Author præditus erat in anima, quam quæ Deo tenaciter esset vnita: ea siquidem, quæ inibi referat, clarissime hoc ostendunt. & quamuis non paucos Authores, qui de Mystica Theologia scripserunt, euoluerim; nullam nihilominus doctrinam solidiorem, neque sublimiorem inuenisse videor hac, quam V. ac S. P. F. Ioannes à Cruce cōscripsit: è cuius lectione legentium animæ in via spiritali copiosum lumen experiuntur, & quāuis ego hæcenus parū profecerim, fateor nihilominus me hoc experiri, quoties illa lego: tum etiam calorem vehementem sentio, qui ad Dei me amorem incitat; ideoque illa æstimo ac veneror; eisque tum in meam, tum aliarum animarum, quibuscum ago vtilitatem vtor; atque in hunc finem ea mihi transcribi curauit. Inter alia verò ipsius P. scripta huius idiomatis ac sapientiæ cœlestis, peruenit ad manus meas originalis descriptio Monticuli ipsius sancti caractere delineati; in quo describit modum quo anima ad perfectionem ascendit. Quem plurimi feci, tum quia ipsius sancti copia originalis sit, tum etiam propter excellentem, quam in se continet doctrinam spiritus, Quem D. D. Theresiæ de Zuniga Ducissæ de Arcos,

128.

tanquam pretiosissimum thesaurum dono dedi. Scio etiam librorum istorum plurima circumferri exemplaria manuscripta. Ego etiam curavi præfatam Monticulum excari; eumque diuersis personis doctis, & indoctis obtuli; qui ab omnibus plurimifit; tum propter doctrinam quam continet, tum etiam propter sanctitatem Authoris.

## ELOGIVM IV.

*Doctõris Francisci Mirauete Auditoris, & Decani Curia, & Iustitiæ Aragonum CesarAugusta: viri præcipuo spiritu doctrina & pietate insignis, contentum in epistola data ad quandam personam Religiosam.*

 Amdudum exilibus meis precibus indesinenter à Domino suppliciter peto, exaltationem per relationem ab Ecclesia inter Beatos, magni amici sui, & fidelis serui Fratris Ioannis à Cruce, quem licet dum viueret, non cognouerim, libri tamen quos conscripsit ad solatium, lucem, directionemque spiritualium personarum cœlesti doctrina referti, eum toti mundo faciunt innotescere. Qui Authoris sui sanctitatem, excellentes virtutes, spiritus eminentiam, clare & patenter demonstrant, quamque præcellenter in hac vita mortali per orationem, & exercitium mortificationis, ac poenitentia, vnionem cum Deo in gradu transformationis adeptus sit. Exarsit Dei amore; fuit Seraphin carne vestitus. Continetur in prædictis libris doctrina admirabilis, de vijs, ac semitis, quæ nos ad hanc diuinam vnionem, transformationemque obtinendam manuducunt; simul etiam deteguntur obices, & offendicula quæ impediunt consequutionem finis adeo fortunati, & portus tam foelicis: breuius dicam, quantum meo tenui iudicio colligere valeo, maxima illius doctrina pars infusa ac reuelata fuit. in magna, vt audio, existimatione sunt libri illi apud personas eruditas & spirituales, in hoc Regno orationi, & internæ recollectioni incumbentes: vnde & multi eos sibi compararant vt ipsorum lectione, ac cœlestibus documentis in via perfectionis proficiant; eadem etiam intentione auide exquiruntur, & experuntur ab alijs.

††† 2

ELO-

B.  
Ioannis  
à Cruce

Opera  
Mystica

NVI  
124